DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICO - ANATOMICA
DE
CEREBRI TUMORIBUS

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILELMA,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XVI M. MARTII A. MDCCCXXIX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR
DAVIDES MEYER,
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:
E. GABLER, MED. ET CHIR. DR.
C. HOETENSLEBEN, MED. ET CHIR. DR.
J. FROMM, MED. ET CHIR. DD.

ACCEDIT TABULA AENEA.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

AFFINI DILECTISSIMO

DE SE SUISQUE MERITISSIMO

L. B. BEREND.

NEC MINUS

AVUNCULO CARISSIMO

ATQUE TUTORI BENEVOLENTISSIMO

D. A. BENDA.

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

Introductio.

Quantumvis anatomia pathologica recentiori tempore profecerit, infitias tamen eundum non est, multa nobis esse abscondita, quae solis huius disciplinae adminiculis dilucidari possint. Quum enim compertum habeamus, degenerationes atque pseudorganisationes viscerum nobilissimorum, ut cerebri tumores, cordis vasorum valvularumve ossificationes, arteriarum maiorum obliterationes, etc., plerumque funestissima aegrotantibus excitare symptomata, iure meritoque mirabimur, si plura exempla nobis persuadeant, eadem vitia nonnunquam vix unum alterumve efficere symptoma, quod morbum tam gravem corpori inesse comprobat. Causa huiusce diversitatis, quamquam variis modis et a viris peritissimis ventilata, parum tamen illustrata est. Proinde neminem vituperandum censeo, qui in eo acquiescendum esse dicat, ut collectis examinatisque observationibus magis magisque nobis persuadeamus, abnormitates supra relatas aliam atque aliam in corpus efficaciam exserere, imo interdum insontes existere, eatenus saltem, ut manifestae oeconomiae animalis turbae absint. Quicunque omnia explorare gestit, naturae humanae fines parum meditatur; multa enim ita sunt constituta, ut acutissimos effugiant sensus, et ratiocinando tantum

appeti queant; quis autem est, qui dirimat, num symptomatum vel mortis causam investigantes, recte ratiocinati simus, nec ne. Praestat igitur medicum fateri, se ignorare mali mortisve causam, quam in medium proferre hypotheses, quarum nulli inest evidentia aut probabilitas. Summi autem est momenti, ut ea indagare studeamus, quae indagari possint, nimirum anatomiam corporum, singulari quodam morbo exstinctorum; etiamsi enim multis pathologiae capitibus ab hac parte parum lucis hucusque affulserit, sperare tamen licebit, fore aliquando, ut nonnulla, quae mentem humanam longe superare videantur, indefessis nostrae artis magistrorum studiis in aprico ponantur, aut vero propiora ferantur, quod innuunt Senecae verba: *„Veniet tempus, ubi ea, quae nunc latent, in lucem dies extrahet et longioris aevi diligentia.“*

Caput I.

De organicis cerebri ejusque tunicarum mutationibus.

Quum deviationes a solita naturae norma non semper eundem sequantur typum, non difficile est intellectu, nisum formativum, quamvis anomalum, aliam atque aliam ingredi viam, itaque modo has, modo illas proferre abnormitates, qnae communi vitiorum organicorum nomine comprehenduntur. Cerebrum quoque eiusque tunicae, utpote iisdem nisus formativi et reproductionis legibus submissae quibus reliquae partes vitales adstringuntur, non raro ita degenerant, ut vitia exorta summam medicorum attentionem, imo admirationem excitent. Quales in genere mutationes cerebrum et membranae eius experiantur, breviter enucleabo.

Primo nimirum tumores circa cerebri superficiem, circumscriptis lymphae coagulabilis depositionibus exorti, inveniuntur, qui teste Abercrombie *) plerumque sub dura matre finguntur, et prout magis minusve sunt exculti, modo recentem gelatinam, modo solidiores substantias aemulantur. Haud dubie tumor iste originem ducit e chronica eademque partiali durae meningis inflammatione, et huiusce membranae crassitie, materias depositas contegente, stipatur.

Animadvertitur porro tumor solidus, a dura matre profectus, cuius et interna et externa species albedinem aequabilem, albumeni coagulato similem, offert. Hicce tumor, aliter ac ante dictus, non moleculas irregulares, sed intumescentiam manifestam, rotundiusculam, variae magnitudinis exhibet; non sacco proprio circumcludi, sed a membranae superficie ordiri videtur. Idem quandoque ab externa durae matris pagina procedit, saepeque ossium ab-

---

*) *Ueber die Krankheiten des Gehirns und des Rückenmarks. Aus dem Englischen übersetzt von Fr. de Blois. Bonn* 1821.

sorptionem efficit. Multi horum tumorum praegressa laesione oriuntur, interdum autem eiusmodi laesio progressus cariei, quae tumori viam patefacit, per os, accelerat; hi tumores incauta manu incisi plerumque mortem inferunt. Non raro tumores minores, dictis similes, magno vasorum reti deprehenduntur adnati.

Exstat etiam tumor in cerebri superficie, a substantia encephaloidea longe diversus, sacco inclusus partibusque ambientibus leviter affixus. Sacci horum tumorum, sub dura meninge positorum, vel a tunica arachnoidea, vel pia matre ordiri videntur, variamque texturam habere feruntur: alii enim cum glandulis scrofulosis comparantur, alii adiposi, alii rubelli et perfectius exculti describuntur; saepe suppurationem exhibent. Haud dubie originem debent amplificationi corpusculorum glandulosorum, circa cerebri superficiem obviorum; ambitum referunt diversum, nonnunquam ovum gallinaceum adaequant.

Singulares quoque encephali partes amplificantur, ut conarium, hypophysis, et aliae.

Ipsa cerebri aut cerebelli substantia morbosas subit mutationes, praegressa haud dubie inflammatione chronica, exiguam cerebri partem tenente, quae in indurationem, novissime in suppurationem abit, eoque modo exitialis est. Talis inflammatio chronica auctore Abercrombie *) longum per tempus citra mutationem organicam existere potest, orta autem induratione lympha coagulabilis partem induratam sacco quodam circumdat. Mors vel ipsa induratione, vel suppuratione inducitur, et prout discrepat exitus, cerebrum post mortem vel induratum, vel recenti inflammatione correptum, rubrum aut flavidum, vel locus morbosus ex toto aut ex parte ulceratione consumptus deprehenditur.

Osteogeneses, in cranii cavo occurrentes, vel a facie cranii interna procedunt, vel in partibus mollibus, ut dura meninge, maxime in processu falciformi reperiuntur. Osteogneses partibus interioribus potitae utplurimum figuram ossiculorum tenuium, seu lamellarum offerunt, quarum crassities in dura matre nonnunquam eximia apparet.

Describuntur etiam hydatides i. e. singulares pseudorganisationes varii generis, quarum nonnullae vix hydatidibus adnumerandae videntur. Huc pertinent vesiculae, saepe in reti vasculoso obviae, quae originem trahere videntur e tela cellulosa, rete illud ambiente, seri effusionibus in vesiculas elevata. Occurrunt quandoque sacculi in diversis cerebri regionibus, qui an hydatitibus interponendi sint nec ne, maxime est dubitandum; humor modo flaveolus et gelatinosus, modo limpidus, modo mucosus invenitur. Abrocrombie tradit de hydatide, sedecim laticis uncias continente. Idem persuasum habet, nonnullas hydatidum effuso humore inter membranarum strata, vel in saccos duplicaturis durae meningis formatos, oriri, et a processu inflammatorio exordia ducere.

---

*) *l. c. p.* 221.

Denique tumores memorantur ad nullam classium dictarum referendi, uti tumor calculosus, tumor haematodes, (forsan fungus haematodes) excrescentiae cerebri spongiosae.

Caput II.

Symptomatologia.

Morbi cerebri organici, si symptomata respicimus, in classes octo redigi possunt, quarum singulae partim communibus, partim peculiaribus insigniuntur criteriis.

Primae classis symptoma gravissimum, saepe unicum, cernitur in dolore capitis acerbo ac diuturno, cuius et vehementia et sedes differunt, modo paroxysmi cum intermissionibus alternant, modo remissiones tantum, vel ne istae quidem observantur. Vel caedens est dolor et inimicissimus, vel obtusus parte quadam capitis limitatus, ut vertice aut occipite; interdum cum pulsationibus coniunctus; nonnunquam paroxysmorum acerbitas impedit, quominus aeger corporis situm mutet, quandoque deliria transitoria exstant. In stadiis prioribus, nonnunquam exquisitiori iamiam morbo, symptomata mirum in modum remittunt, morbumque pro cephalalgia periodica cum nausea aut digestionis diffiicultatibus haberi iubent, quae suspicio eo augetur, quod venter saepissime turbatur et paroxysmi vomitu stipantur. Verum tamen doloris vehementia ac diuturnitas tandem suspicari iubent, non solam cephalalgiam, sed graviorem morbum subesse; non raro enim accidit, ut capitis dolores atrocissimi urgeant, si digestionis instrumenta nullam offerant labem, aut vice versa. Cubiculorum calor, strepitus, colloquia alacriora, vinum et corporis contentiones dolorem intendunt, quies, frigus et tenebrae diminuunt. His nimirum criteriis dolor capitis discrepat ab eo, quem gignit dyspepsia, quippe qui colloquiis, corporis exercitatione aliisque oblectamentis mitescere solet. Interdum morbi naturam nonnisi coniectare licet e pertinacia, qua capitis dolor omnibus medicamentis repugnat.

Secundae classis morbi eiusmodi sunt, ut praeter fixam et diuturnam capitis affectionem sensuum organorum alienationes, imo adeo mentis accedant. Omnium sensuum frequentissime visus, rarissime olfactus labefactatur; plerumque alteruter oculus corripitur, eoque coecutiente alter paullatim hebescere incipit; sin uterque simul laborat, alteruter gravius affici solet; quandoque diplopia vel continua, vel periodica supervenit. Accidit quoque, ut mens non modo labefactetur; verum etiam loquela tollatur; ceteroquin aequabilitas symptomatum morbosorum desideratur.

Tertiae classis morbi antecedentibus eatenus respondent, quatenus dolor et sensuum af-

fectiones inveniuntur, paroxysmi autem coniunguntur convulsionibus, quae fere regulares, epilepsiae similes, rarius periodicae occurrunt; exstat quoque opportunitas ad inflammationem, imo ad tetanum et apoplexiam.

Quartae classis morbi insigniuntur convulsionibus absque sensuum affectione; dolor exiguus observatur, certe abest dolor ille fixus et continuus, quo classes supriores notantur. Convulsiones modo epilepsiae formam imitantur, modo per incerta intervalla redeunt, aut diutius intermittunt; nonnunquam paroxysmi cephalalgiae praecedunt, aut convulsiones comitantur; aliquanto post memoria plerumque labare incipit.

Classis quintae sextaeque morbis novum symptomatum genus supervenit, nimirum paralysis, vel hemiplegiae, vel paraplegiae, vel omnium partium resolutionem offerens; interdum unum tantum vel alterum afficitur membrum. A paralysi apoplectica haec eo differt, quod tardius accedit, ita ut initio membrum quoddam, vel membri pars debilitatem prodat, quae debilitas gradatim totum per membrum, nec non per membrum alterius lateris, quod huic respondet, expanditur, sensimque in paralysin vertitur. Dolor capitis vel continuus exstat, vel inter paroxysmos tantum accedit; loquela plerumque, memoria saepe infracta est.

Septimae classis morbi magnum portendunt numerum symptomatum, quae ad gastricas affectiones referenda videntur, sane autem cerebri vitio originem debent. Multi quidem morbi organici ventriculum offendunt, nostri autem eo insigniuntur, quod gastricae affectiones praedominantur, dolorque capitis fixus, qui medici animum ad cerebri morbum attendere possit, vel exiguus, vel nullus adest. Utplurimum tamen aegri cephalalgiam conqueruntur obtusam, vel paroxysmos exhibentem, vel cum vomitu iunctam, corporis contentione, aestu, animi pathematibus ac potibus incitantibus augescentem. Ciborum appetentia vulgo diminuitur parum somni accedit, ventriculus laxus, acescentiae vestigia reperiuntur. Vomitus vel matutino tempore, vel incertis periodis sine prodromis irruit. Varia symptomata ad unum alterumve organon referenda videntur; saepius enim evenit, ut morbus in turbata hepatis functione, vel actione perversa glandularum salivalium collocaretur. Huncce cursum morbus interdum diutissime persequitur, quin vera eius natura patescat; quodsi autem memoriae abolitio, visus affectiones, paroxysmi convulsivi, etc., apparent, morbi indoles in luce clariori ponitur. Caveri oportet, ne decipiamur, si symptomata gastrica victu idoneo, vel methodo antigastrica subleventur, quippe quod fieri possit, etiamsi causa illorum symptomatum in cerebri vitiis cernatur.

Octavae classis morbi praesertim affectionibus apoplecticis levioribus et transitoriis insigniuntur; modo vertigo adest continua, quae impedit, quominus aeger solus ambulet, modo defectus repentinus vis muscularis irruit, qui breve post intervallum cedit; neque desunt insultus soporosi, typum plus minusve regularum offerentes, quos aegroti interdum veracis-

sime praesagiunt, ideoque cubile petunt; accidit etiam, ut visus affectiones, vel continuae, vel periodicae, superveniant; corporis contentiones nonnunquam vertiginem et memoriae defectum excitant.

Caput III.

Causae tumorum in cranii cavo repertorum.

Quodsi locum respicimus, abs quo tumor procedit, vel adhaerentem, vel solitarium dicere debemus; priori casu vel a cranii ossibus proficiscitur, ostiosteatoma, seu rectius osteosarcoma, vel ut alii malunt, sarcoma medullare; aut a dura matre, fungus medullaris aut haematodes; aut ab ipsa cerebri substantia, quo casu tumor vel cerebri indolem, vel haud absimilem, vel diversam exhibet, et tam consistentia quam textura et contentis, differt. Verum etiam fieri potest, ut tumor nulli partium dictarum adhaerescat, sed solitarius exstet, aut commercium tam leve cum finitimis alat, ut accidentale magis, quam necessarium videatur. Meditantes causam proximam horum tumorum, i. e. processum illum morbosum, qui degenerationi aut pseudorganisationi ansam praebet, diffiteri nequimus, multa olim hypothetica hac de materie esse prolata, imo recentiori tempore adaucta, quanquam varii anctores paullatim pathogeniae horum tumorum id lucis affuderint, ut non amplius tantis tenebris premamur, quantis antiquiores premi solebant. Tumores alicubi prostantes, vel degeneratione, vel nova productione sive pseudorganisatione oriantur necesse est, degenerationes nimirum et pseudorganisationes eo discrepant, quod illae non proprium nutritionis focum habent, sed in et cum partibus aluntur, quibus insident, hac autem peculiari nutritionis et vegetationis foco praeditae sunt, et eatenus quidem cum partibus, quibus adhaerent, commercium alunt, quatenus demtis hisce partibus subsistere amplius nequeunt, verumtamen alimenta non ex iis, sed ex se ipsis hauriunt, quum vasis polleant. Hanc ob causam istae pseudorganisationes quoque parasiti appellantur, quum captis incrementis partes, a quibus processerunt, vel exhauriant, vel ita mutent, ut ex toto eam profiteantur indolem, quam pseudorganisatio refert. Focus nutritionis horum parasitorum vel centrum tenet, vel peripheriam, quapropter distingui solent parasiti cum vita centrali, v. c. fungus medullaris, polypus, scirrhus aut cum vita peripherica, v. c. tumores cystici qui appellantur. Nunc disquirendum est, quali ratione illi tumores, sive sint degenerationes sive pseudorganisationes, nascantur, utrum opus sit inflammatione nec ne. Inflammationem requiri, plerique recentioris aevi scriptores affirmant, dicentes, nutritionem et evolutionem organorum citra inflammationem augeri quidem aut diminui posse, sed

praegressa tantum inflammatione ita mutari, ut substantiae formentur heterogeneae, a primitiva organorum structura alienae. Haud temeraria haec videntur, quaeque enim inflammatio partibus affectis novam quasi vitam impertit, nisumque formativum partim praeter modum exaltat, partim ita gubernat, ut a solita norma deflectat substantiasque proferat a statu normali abhorrentes. Quodsi igitur inflammatio parte aliqua est potita, et vel singulares conditiones impediunt, quominus frangatur prosperumque sortiatur eventum, vel si idonea eius curatio negligitur, processus oriuntur secundarii, qui vel exsudatione, vel degeneratione vel pseudorganisatione se manifestant. Haud minus inflammationem antecedere oportet, ut tumores oriantur solitarii, neque ossibus cranii, neque cerebri membranis, neque substantiae, encephali inhaerentes; etenim exsudatio plastica, quae horum tumorum aut concrementorum causam continet, tantummodo processui inflammatorio originem debere potest. Videmus nimirum, vasa sanguifera aut lymphatica quandoque rumpi contentaque sua in cavitates aut telam cellulosam effundere, eoque ex fonte coagula sanguinis, lymphae accumulationes, etc., nunquam vero pseudorganisationes proficisci, nisi simul adfuerit inflammatio.

Quodsi causas horum tumorum remotas intuemur, quaestio nobis obstruditur, num praedisponentes utrum occasionales tantummodo sint defendendae. Nonnulli sexum potiorem magis ad hoc vitiorum genus opportunum esse tradunt, quam sequiorem; quae si vera sunt, eo niti videntur, quod viri frequentius iniuriis externis sese submittunt, quam mulieres. Nasse *) observationibus sibi persuasum esse dicit, cerebri tumores inde ab anno aetatis vicesimo ad quadragesimum multo frequentius occurrere, quam provectiori aetate; idem vero **) diathesin hereditariam nondum observationibus stabilitam esse censet. Alii quibusdam certe tumorum generibus propriam subesse dicunt dyscrasiam, ut osteosarcomati, de quo quidem Otto ***) haec habet: Quemadmodum scirrhus et carcinoma partium mollium ita osteosarcoma singularem supponit dyscrasiam, non scrofulosam, ut nonnulli putant, sed specificam, interdum tamen cum scrofulosa coniunctam; annis infantilibus, quibus rhachitis et scrofulosis grassari solent, rarissime hoctumorum genus supervenit. Fortasse homines, habitu apoplectico instructi ac plethorici, quibus continuae sanguinis congestiones ad caput feruntur, ad hoc morborum genus magis proni sunt reliquis. Causae occasionales vel sunt mechanicae, vel dynamicae; illis omnia interponuntur, quae cranium, aut encyphalum, aut membranas eius offendunt, indeque statum inflammatorium vel universalem vel topicum excitant, ut vulnera, contusio, pressio, etc. Inter dynamicas causas primum locum tenet

---

*) *cf. Calow de tumoribus cerebri diss. Berolini* **1826**, *p.* **13.**

) *Ueber Geschwülste im Gehirn. Anhang zu Abercrombie, p.* **23.

***) *Neue seltene Beobachtungen zur Anatomie etc. Berlin* **1824**, *p.* **25.**

capitis refrigerium, quo vel capitis transpiratio, vel exanthemata eius supprimuntur; imo refrigeratio aliarum partium, qua profluvia naturalia vel habitualia supprimuntur, haud dubie huc pertinet. Scabiem inunctionibus repercussam aliquoties cerebri morbos organicos concitasse, Nasse *) tradit. Saepius in hominibus cerebri tumore affectis dyscrasia syphilitica, scorbutica, scrofulosa exstitit, quod Bonnet, Reil, Abercrombie, Hufeland aliique probant.

Caput IV.

Observationes e scriptoribus collectae.

Quum recentiori tempore tumores cerebri adeo numerosi sint observati, ut dissertatione inaugurali vix possint comprehendi, nisi limites eius quam longissime extendantur, exempla praecipue in veteriorum auctorum scriptis investigavi, et quae invenire licuit, hic apposui

Observatio I. **)

Stupor seu obstupescentia, a tumore globoso glandulae instar in cerebro genito.

Caspar Bonecurtius, nobilis Eques, sensim per biennium mente alienari coepit, adeo ut tandem omnino attonitus, nihil secuudum rationem ageret; cibum nec petebat, nec nisi per vim intrusum capiebat; lectum nonnisi coactus petebat, sed ad mensam brachio innixus, continuo dormiens fere sedebat, nec nisi interrogatus saepeque admonitus, verba quaedam, sed quae ad rem minime pertinebant, proferebat. Stillabat interim e naribus, pituita aquea, copiose frequenterque. Quibus sic semianni spatio se habentibus, tandem exspiravit. In causis perquirendis nihil quod huic malo ansam praebuerit certius cognosci potuit; quam ictus capitis, quo tribus aut quatuor annis ante percussus, cerebri imbecilletatem, ab eo tempore, coepit experiri, cum alias prius, strenuus alioquin miles, nihil tale sensisset. Calvaria post mortem ipsius aperta, cerebroque diducto, supra collosum cerebri corpus insignis tumor globosus, glandulae instar carnosus, scirrhosus fungosusque, pomi mediocris magnitudine deprehensus est, qui privata tunica investitus, venalisque erat consitus, ab

---

*) *l. c. p.* 23.

**) *Plateri observationum in hominis affectibus plerisque, corpori et animo, functionum laesione, dolore, aliave molestia et vitio infensis, libri tres. Basileae* 1641. *Obs. lib. I. p.* 13.

omni tamen connexione cum cerebri substantia liber, adeo ut citra sectionem, manibus exemptus, foveam insignem, aqueo humore mox repletam, quo et ventriculi admodum dilatati diductique referti erant, post se relinqueret. Quem globum, sua mole cerebrum illiusque ductus comprimentem irrigantemque, huius stuporis et torporis, tandemque mortis, occasionem fuisse, deprehendimus. Cum tamen prius aliqui a veneficio, alii vero ab humoribus tantum, uti plerique medici cerebri morbos hisce adscribunt, profectum hoc malum asseverarent, donec patefacto cerebro nobis abstrusa et recondita haec illius causa innotuerit.

Observatio II. *)

Coecitas a tumore globoso, in cerebro nervos opticos premente, proveniens.

Gallus quidam, Jurium studiosus, annos natus XXIV. hic versans, dolore capitis correptus est. mox sequuta febris, qua cessante, cephalalgiae reliquiae aliquae nihilominus remanserunt, cum vigiliis et capitis imbecillitate. Tandem in oculo sinistro visio obscurari coepit, et post mensem etiam in dextro oculo, sequutaque est paulo post in utroque oculo omnimodo amaurosis seu coecitas, nullo vitio in oculo apparente. Postmodum etiam coecus ille convulsionibus laboravit, quae illum per vices, tota hyeme, affligebant. Quibus, initio veris, cessantibus', supervenit tussis, febris hectica, exspuitio purulenta, et tabes, qua diu molestatus et consumptus tandem exspiravit. Corpore per anatomen aperto, pulmonum vitium deprehendimus; verum cum causam coecitatis, aperta calvaria, in cerebro perquireremus, invenimus cerebrum aqueo copioso humore irriguum, partemque illius anteriorem, sinistra praesertim in sede, tumidiorem, a qua cum portio adimeretur, inventus est tumor seu globus quidam glandulae seu strumae instar, inclusus, in cerebri substantia, ab ea tamen separatus, propriaque membrana dura contentus, per quam venae aliquae capitulares dispersae erant, ovi gallinacei magnitudinem superans, inaequalis, et formam pineae nucis exprimens, cuius interior substantia albida et aequalis, ovi albumen coctione induratum referebat, sed durior illo erat. Hic, cono obtusiore, nonnihil sursum prominebat, basi vero latiore, ventriculo cerebri, anteriore sede innitebatur, et pondere suo, quod erat drachmarum quatuordecim, nervorum opticorum exortui in cerebro incumbebat, eosque comprimebat, quam causam fuisse coecitatis, quod cum spiritus animalis transitus ad oculos fuerit impeditus, conclusimus, cum alioquin in nervis opticis nulla obstructio, aut aliud vitium, uti nec in oculo, apparuerit.

Non admodum absimilem globum glandulosum, cum etiam in cerebri substantia, in nobili quodam equite, obstupescentia gravi et diuturna laborante, invenerimus, satis conjicere

*) *Plateri obs. lib. I. p.* 108.

licet, graves et diuturnos, cerebri vitio accidentes et incurabiles morbos, ab eiusmodi occultis, in cerebro latentibus, tumoribus aut vitiis frequenter accidere, et cum rarissime haec sectione indagentur, medicos, qui causam cerebri intemperiei aut humoribus attribuunt, atque hisce remedia accommodando oleum et operam perdunt, latere.

Observatio III. *)

Epileptici cranii apertio.

Fato functo epileptico quodam, a Chirurgo mihi noto apertum fuit eius cranium, medicis illud ei praescribentibus, quo aperto inter cerebri ventriculos magnam materiae adipis aemulae copiam reperit. Haec autem materia sine dubio vel ventriculos comprimebat, vel vasa, adeo ut obstruerentur, nec spiritus animales facile ea permeare valerent.

Observatio IV. **)

Epilepsia a carnoso cerebri tuberculo.

Nullo ingenio huic malo admodum gravi quandoque medelam reperiri miretur nemo, qui communis mali causas utplurimum inexpugnabiles consideravit. Nobilis quidam Bononiensis anno 1629 singulari Joannis Prevotii fama excitatus, recuperandae valetudinis spe Patavium se contulerat. Nullo effectu ad suos reversus, quum paulo post fato cessisset, in cerebri ventriculo tumor carnosus fuit inventus, qui cerebro compresso inanem huic morbo medicinam docuit.

Observatio V. ***)

Vir maturae aetatis plurium annorum spatio cephalea, postremis mensibus acerbissima laboravit; de affecto loco sciscitantibus verticem capitis indicabat; epilepticis quoque accessibus subinde corripi, ac de maxima acritudine salivae, et importuna fame conqueri solitus fuit. Cum eum vehementius dolores urgerent, absurda saepe loquentem familiares audiebant. Denique in profundum soporem lapsus, simulque convulsus interiit.

Aegro adhuc vivente quoddam latere vitium in meningibus arbitrati, nihil tale post eius obitum deprehendimus, sed tumorem in calloso cerebri corpore durum, coloris ex albido rubentis, qui juglande maior, sublata falce diductisque cerebri hemisphaeriis non modo sub tactum, sed primum sub aspectum veniebat; ex hoc autem intelligitur, quare capitis ver-

---

*) *Borelli historiarum et observationum medicophysicarum Centuriae IV. Lipsiae* **1676**. *Cent. II. obs.* **78**.

) *Rhodii observationum medicinalium Centuriae III. Francof.* **1676. *Cent. I. obs.* **55**.

***) *Fantoni opuscula medica et physiologica. Genevae* **1738**. *De obs. medicis et anat. epistolae ad Mangetum. epist. V.*

tici, utpote affectae parti, manum aegrotus admoveret. Quamquam vero antiquae, gravissimaeque aegritudinis, atrocissimi doloris, delirationis, spasmi posita sedes in eo tumore appareat; ipsius tamen origo tumoris, et abdita symptomatum, ac periodicae epilepsiae potior causa in serosi laticis aliorumque succorum pravitatem referenda esse videtur.

Observatio VI. *)

Adolescens iam diu imbicillis, miserrimamque vitam trahens, in mortiferum soporem incidit. Cerebri sinus lymphatico humore turgebant; in basi cranii, atque ex alterius optici nervi latere globus aderat parvae juglandi similis, ex materia fibrosa, cineraceus, durus, salebrosus, arctissimeque cum meningibus connexus.

Observatio VII. **)

Haller de scirrho cerebelli exposuit verbisque suis innuisse videtur, ejusmodi exempla rarioribus observationibus esse interponenda. Quum historiam, inquit, carotidis externae, et rami quem maxillarem internum vocat cl. Winslowus, persequerer, in cerebello miri mali effigies mihi apparuit. Lobus eius visceris sinister, pene totus, pertinaciter durae matri occiput vestienti adhaerebat. Incidi tentorium, reperi scirrhum enormem, duarum utrinque unciarum diametro, in quem tota aut medullaris, aut corticalis cerebelli substantia degeneraverat. Uniformiter spissus erat tumor, fibrosus, renis fere ad modum, et scissilis, nullo vase, qua penitissime repleta erant, in sectione apparente, nulla superstite nota aut cinerei corticis, aut arbuscularum medullarium.

Unica parallela scirrhosi cerebelli historia, in stupido puero reperti, legitur in actis Parisinis 1705, No. 13, et aliquantum addidit J. S. P. Plancus, vir elegantissime doctus, in proprio libello, ulceris nempe cerebelli, quod in morbo acuto serius perniciem intulit.

Observatio VIII. ***)

Visum repertum. Inde a gena dextra ad hypochondrium dextrum superficies striis rubrocoeruleis erat notata; caput flaccidum pependit, ita ut luxatio cervicis existere videretur, quamvis ligamenta neque laxa, neque plane disrupta essent. Ventris musculi colorem viridiusculum, intestina tenuia cruentorubrum obtulerunt; omentum vix coli dimidium texit, et id ipsum velut bile offusum apparuit. Mesenterii uenae ita scatebant sanguine, ut infarctae viderentur; glandulae meseraicae tumidae atque induratae, hepar integrum, pulmones corrupti, sanguine spumante repleti vomicisque magnis obsiti erant. Omnes cerebri

---

*) *Fantoni epistolae ad Mangetum. Epistola VIII. obs. VI.*

**) *Halleri opusc. pathol. p.* 10, 11.

***) *Neues Magazin für Aerzte, herausgegeben von Baldinger. Leipz.* 1782. *Bd.* 4, *Stück* 1.

ventriculi aquae rubellae uncias octo continebant, qua de causa cerebrum adeo erat sufflatum, ut circuitus eius, quanquam esset pueri, hominis adulti cerebrum adaequaret. Posteriori cerebelli parti tumor durus (scirrhus) adhaesit, ovi columbini magnitudinem habens, tam cerebello infixus, quam ossi occipitis adnatus. Sinus longitudinalis superior vasaque cerebri sanguine abundabant. Puer aliquot per annos capitis impetigine laboraverat, quam parentes remediis externis depulerunt, quo facto valetudo adversa incidit, angor repentinus saepe supervenit, tandem epilepsia accessit, et puer convulsionibus ingentibus agitatus corruit. His facile intelligitur, impetiginem capitis repercussam pro causa hydrocephali et pseudorganisationis habendam esse; nihil enim est manifestius, quam huiusmodi repercussionem epilepsiae et apoplexiae ansam posse praebere, praesertim si tumor inde coortus pressionem exhibeat in cerebellum, quam causam motus spasticos excitare, inter omnes constat.

Observatio IX. *)

Hanc observationem quamquam nuperiorem eapropter apponere non dubitavi, quoniam tumor intra cranium repertus magnam alit similitudinem cum eo, cuius describendi et delineandi Ill. Rudolphi copiam mihi fecit.

Visum repertum. Diductis capitis integumentis pericranium perquam solubile apparuit, quippe quod sine ulla vi a calvaria detrahi potuit. Demto cranio vasa sanguifera meningum tanta sanguinis copia excelluerunt, ut superficies utriusque hemisphaerii paginam coeruleam striis atris marmoratam exhiberet; sanguis extravasatus nec supra nec infra meninges exstitit; dextrum cerebri dimidium maius solidiusque videbatur sinistro; submota dura matre cerebri ipsius superficies, quoad per vasa piae matris sanguine scatentia observari potuit, normae consentanea apparuit. Ut interiora cerebri in conspectum prodirent; laminae horizontales substantiae encephaloideae, primum quidem ab hemisphaerio dextro, cultri ope rescindebantur. Cultro vix ad lobum posteriorem deducto, in regione temporali hemisphaerii dextri corpus molle cinereum per aperturam prorupit viamque sibi patefaciens substantiam medullarem cerebri longe dispulit, tamquam bufo inclusus anteriorem capitis partem per aperturam protenderet; fissura transversa in apice obrotundo corporis prorumpentis primo obtuitu bufonis os aemulabatur, cultro autem erat effecta quod postea apparebat. Ad examinandam huius corporis indolem, cerebri incisura cultro dilatabatur, quo facto illud corpus cavitate quadam circumclusum, figuram globosam, colorem cinereum, substantiam mollem elasticam obtulit, facieuque laevem reti vasculoso rubicundo obvestitam habuit; cavitas hunc tumorem

*) *Journal der practischen Heilkunde, herausgegeben von Hufeland.* 1815. *Band* 41, *Stück* 2. *Das Hirn im Hirne, beobachtet von Steinbuch.*

continens in lobo anteriori hemisphaerii dextri exstitit; vasa superficiem eius obducentia ex ipso tumore ad substantiam cerebri medullarem ramulos tenuissimos miserunt, et cum ipsis cerebri vasis commercium aluerunt. Praeterea tumor haec singularia exhibuit: superficies globosa et umbilico quasi instructa totum per ambituu membranula tenerrima, pellucida investiebatur, quae rete vasculosum non secus continuit, ac pia meminx vasa superficialia cerebri; membranula illa prehensa et a superficie tumoris diducta, multa vascula rupturas passa sunt. Corpus tumoris substantiam obtulit teneram, mollem, cinereae analogam; magnitudo fuit pomi mediocris, diametrus transversa circiter pollices duos, longitudinalis unum ac dimidium, pondus uncias duas cum dimidia adaequavit. In interiori tumore, non in centro autem, sed magis in latere, cavum apparuit inaequale, cellulosum, quasi lacerum, humore cinereoflavido impletum, quod nihil aliud esse videbatur, nisi ulcus, saniem mixtam peculiarem continens, pondus huiusce tumoris quinque drachmarum fuit.

Puella, cuius cerebrum huncce tumorem exhibuit, capitis dolore periodico laboravit, cuius atrocitas ita increvit, ut lectulum derelinquere non posset, quamquam totum dolebat caput, maxime tamen pars superior regionis temporalis dextrae affecta erat. Quisque corporis motus, imo quaeque cordis diastole, dolorem auxerunt, oculorum caliginem, syncopen et similia induxerunt; vehemens pulsatio dolori propria fuit. Mentis functiones maxime erant labefactae, somnus abfuit, reliquorum organorum provinciae parum discesserunt a norma, verum tamen nausea et anorexia frequens sympathicam ventriculi affectionem indicarunt. Brachium et manus dextri lateris singulari laborabant imbecillitate, quae paralysis incipientis vestigia nuntiavit. Aliquanto post non modo vera paralysis dictarum partium accessit, sed etiam latus totum sinistrum usque ad pedis digitos occupavit; sopor supervenit, mens autem et auditus inter soporem non plane defuerunt. Tandem pulsus frequens atque febrilis evasit, feminaque ingenti oppressa stertore vita decessit. —

Lectu digna sunt exempla admodum numerosa, quae retulit Abercrombie*) nec non ea, quae observavit et apposuit Otto, **) quorum praesertim osteosarcomata, ab exterioribus partibus, v. g. collo et orbita, ad cranii cavum tendentia, multum attentionis merentur. Neque memoratu indignos censeo casus, quos nuper Calow, ***) et Rhodius, ****) nobiscum communicaverunt.

---

*) *l. c.*

**) *l. c. p.* 82 *sqq.*

***) *l. c. p.* 18 *sqq.*

****) *Dissert. inaug. de amaurosi cranii osteosarcomate effecta. Berolini* 1829.

Observatio X.

Nuper in hospitio quodam Berolinensi obiit mulier, septuaginta aliquot annos nata, cuius cranium cum cerebro, singularem tumorem offerente, ad museum anatonicum delatum, et ab Ill. Rudolphi mihi commissum est, ut tumorem describerem eiusque iconem dissertationi meae adiungerem. Quidquid dederim operae, ut de statu mulieris valetudinario nonnulla comperirem, tamen paucissima, ad cerebri morbum vix spectantia, me obtinuisse fateor. Medicus, qui curam eius per ultimos vitae annos susceperat, nulla nisi hydropis symptomata adfuisse profitetur, istoque morbo mortem esse inductam affirmat. Patefacto cranio haec in conspectum prodierunt: tumor rotundiusculus, paulo compressus, cuius naturalem magnitudinem tabula aenea indicat, in sinistro latere pone cerebri pedunculos, ante medullam oblongatam, iuxta latus pontis Varolii, inter hunc et conterminum cerebelli hemisphaerium exstitit. Pressione huius tumoris pons Varolii versus medullam oblongatam fere ad mediam usque partem contabuerat; anterior pars minus consumpta, sed a latere haud mediocriter compressa fuit; neque non cerebelli crus ad pontem qua ex hemisphaerio cerebelli ad pontem Varolii procedit, tumoris pressione fere ex toto complanatum sursumque protrusum apparuit. Flocculus cerebelli margini tumoris posteriori insidens, non minus contabuit; nervus trigeminus infra tumorem, inter hunc et cerebri pedunculos antrorsum tendens, sub origine sua fere penitus fuit consumptus; nervi acustici et facialis nulla vestigia detegebantur, processus quidam tumoris porum acusticum ita intravit, ut summa cum probabilitate concludere liceat, utrumque nervum modo dictum cum tumore plane coaluisse itaque evanuisse. Peripheria tumoris, quemadmodum encephali, membranula tenera obvestiebatur, quam ramuli numerosi arteriae basilaris adibant. Tumor dissectus substantiam albam striis subfuscis intertextam, consistentiam mollem spongiosam, cerebri substantiae haud dissimilem obtulit; verum tamen probabile mihi videtur, substantiam non esse encephaloideam, sed peculiarem, mutationibus morbosis nervi acustici et facialis fortasse exortam. Tumor postice et inferne cum cerebello leviter cohaesit, facileque potuit diduci, quibus elucet, substantiam cerebelli in tumorem non esse continuatam, sed vel telam cellulosam vel vascula effecisse connubium. Cranii ossa nihil alieni exhibuerunt, modo porus acusticus, quem tumoris processus subiit, aliquanto maior apparuit.

Quum tumoris ambitus sit eximius, omnino mirari oportet, symptomata non esse observata, quae cerebri morbum indicarent; verumtamen ratiocinari licet, exstitisse capitis dolores aliasque alienationes tam sensuum organorum, quam reproductionis instrumentorum quae partim a mulieris senectute, partim a morbo manifesto, hydrope nimirum, repeteren-

tur. Multo minus de huius tumoris origine et causis aliquid certi potest proferri, quum nemo unquam de anamnesi mulieris quidquam tradiderit. Quodsi igitur meditamur, nostram non modo, quod quidem notum est, mediocri valetudine gavisam, verum etiam summam senectutem esse assecutam, probabilitatem aliquam obtinent Simsonis *) verba: nullum viscus saepius aegrotare, imo (partim) destrui, et oeconomiam animalem minus turbare cerebro.

*) *An inquiry, how far the vital and animal actions can be accrunted for independent of the brain. Edinb.* 1752, *p.* 224.

Vita

ex decreto gratiosi medicorum ordinis adjecta.

Davides Meyer, veteris testamenti fidei addictus, A. MDCCCVII. Berolini natus sum; parentes dilectissimos jam dudum fata mihi abstulerunt. Literis, a quibus omnis eruditio proficisci solet, instructus, Gymnasium Joachimicum, quinquennioque elapso maturitatis testimonio munitus hancce almam litterarum universitatem adii, artemque professurus Hippocraticam A. 1824 Cel. Hoffman, fasces academicos tenente, civium academicorum numero adscriptus sum. Ab eo inde tempore Virorum Illustrissimorum et Experientissimorum praelectionibus sequentibus interfui: Ill. Rudolphi de anatomia universa, sensuum organorum, comparata et physiologia; Ill. Knape de osteologia, splanchnologia, et syndesmologia; Exper. Schlemm de angiologia; Cel. Ermann de physice; Cel. Mitscherlich de chemia; Ill. Link de botanice et pharmacologia; Cel. Hecker de pathologia et therapia generali, de Celsi libris et historia medicinae; Ill. Horn de pathologia et therapia speciali, de morbis syphiliticis, nec non de morbis mentis; Cel. Casper de arte formulas medicas conscribendi, disserentes audivi. Chirurgiam, akiurgiam, acologiam et ophthalmiatricen e scholis Cel. Jüngken hausi; nec non clinicum chirurgicum Ill. Rust et Gen. de Graefe, et institutiones clinicas Cel. Neumann et Ill. Bartels frequentavi et etiamnum frequento.

Exantlatis tentamine philosophico, medico et examine rigoroso, conscripta defensaque dissertatione, fore spero, ut supremi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Theses defendendae.

I.

Omnes sensus eadem gaudent dignitate.

II.

Febris est conamen naturae mortem avertendi.

III.


Hydroceles incisio praeponenda est punctioni.

Tabulae explicatio.

a. a. Cerebellum.

b. Tumor.

c. Processus tumoris.



C.L. Müller ad nat. del.

C. Haas s.